

des. Omnia porrò hæc fecisset Propheta, nisi Dei præceptum obstitisset.

In veterum Legum interpretatione, habenda est ratio diligenter de recepta Legis observandæ consuetudine apud illos, quibus indicta est. Illud enim reputandum est, religiosos saltem viros nunquam sibi à spiritu & observatione ejusdem recedendi licentiam permisisse. Quod sanè, si de aliquibus unquam, certè de Judæorum, viris religiosis præsumendum credimus, Legis studiosissimis, apud quos à Legis sanctionibus vel lato ungue recedere religiosum fuerat. Quare cum religiosissimorum etiam Judæorum in moribus positum noverimus, ut domesticorum funus comæ & barbæ abrasione, scissione vestium &c. lugerent; non est cur hæc à Moyse interdita suspicemur; aliisque proinde Legum saltem in specie ea interdictionum sensus requirendus est.

u Levit. 19. 26. 27. 28.

x De Dea Syra.

y Deut. 14. 1.

Si quis planè mentem adhibeat Legi in Levitico lata, qua iustus super mortuo populo interdicatur, is facile intelliget, Paganam aliquam superstitionem, apud finitimas gentes obtinentem, Legislatorem spectasse (u): Non augurabimini, neque observabitis somnia, neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam, & super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis in vobis &c. Porrò attonsis comæ apud Arabes religiosa erat Baccho; barbam radere, carnes incidere, apparatus erant iustus, quo Adonidis adeoque & Phegor, uti facile credimus, funus lugebatur; Stigmata inurere carnibus, frequentissima erat per Orientem superstitio, auctore Luciano (x).

Sed juvat in nostram sententiam verba Legislatoris recitare, quibus paulò ante obitum eisdem Leges confirmat (y): Filii estote Domini Dei vestri; non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo, quoniam populus Sanctus est Domino Deo tuo. Ita Moyse ad populum qui cultu Phegor impenso, religioni suæ crimen irrogaverat. Ex superioribus autem satis constat, Adonidis cultoribus & comam abraderè, & carnes incidere familiarem superstitionem fuisse. Alter etiam Deut. 26. 14 locus in hanc rem prætereundus non est. Israelitæ primitias suas Domino oblaturi venientes, hæc profitentur: Non comedi ex eis in iustu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex eis quidquam in re fanebri. Hebr. nec dedi quidquam mortuo. Quid hoc est, rogo, nisi aperta Israelitarum professio omnes se primitias suas Domino obtulisse, nullà reservatà portione pro Iside Dea, ferendi arbores colendique agros inventrice, juxta Ægyptios, cujus Deæ iustus pro amisso Osiride vernâ messe ineunte recurrebat? Quam in rem nihil se expendisse Hebræi sive in usum sacrificiorum, sive epularum ad cultum mortui, hac solemnî formulâ profitentur.

Quibus ita se habentibus, facile in eam sententiam descendimus, quæ Beelphegor cum Adonide confundit; eumque quem-

Moabitæ Phegor, ipsum eundem credit ac Osiridem Ægyptiorum, Adonidem Phœnicum, Athynam Phrygum, Atym Syrorum, & Thammuz Hebræorum. Quo enim loco habet Vulgata: Plangentes Adonidem, in Hebræo est: plangentes Thammuz. Quibus enim Phryges Athynam colebant cæremoniis, [z], isdem & Syri suum Atym (a), Ægyptii Osiridem, Phœnices Adonidem. Ita varia hæc nomina juxta Paganorum Theologiam ad unum Solem referuntur.

z Vide Macrob. Satur. l. 1. c. 21.

a Vide Lucia. de Dea Syr. & alios.

Facile etiam deprehendere nobis videmur nominis Phegor, sive Pe-or vestigia in Deo Oro, ex veteri Ægyptiorum Rege in censum Numinum translato, filio Deæ Isis, cui etiam inditum cognomen Apollo, sive Sol (b). Deus ille, auctore Diodoro Siculo (c), matrem habuit Isidem, quæ post occisum à Titanibus filium, extincti cadaver in aqua inventum ad vitam revocavit, tum & donavit immortalitate. Ferant hunc Orum Regum Deorum in Ægypto feriem clausisse. Ex Dea parente artem vaticinandi, tum & curandi morbos didicit; ex quo Ori nomen longè latèque per universum orbem propagatum est. De tanto filio sibi plaudens mater, in inscriptione ab eodem Diodoro relatâ, ita decora sua prædicat: Ego sum uxor Osiridis; ego sum prima frugum inventrix; ego sum Ori Regis mater.

b Vide Macrob. loc. cit.

c Bibl. l. 1. c. 2.

En Pe or Dei Moabitarum origo. Pe, sive Pi Ægyptii articuli loco positum est; Or nomen est Dei, cujus funus tum & post funus in vitam revocatio celebratur. Exat etiam ejusdem nominis vestigium in nomine religiosi illius Abbatis Pior, & in nomine Origenis, quod ex Ægyptiorum consuetudine, nomina sibi Deorum imponentium, repetendum est. Nominè Thammuz noti sunt Ægyptii quidam in Historiis (d); Thammuz autem Adonidem refert. Animadversione dignum est, apud Herodotum nihil quidem legi de Thammuz, sed tantum de Ammo (e); ex quo facile suspicamus T sive C in Chamms & Thammuz à radice nominis extraneum esse.

d Plato in Phædr. dr. Plutar. de def. Orac.

e L. 2. c. 43.

Adoni Hebræis est Dominus, quo sanè titulo uxores viros suos compellant; ut Sara Abrahamum (f). Potest ergo Ammus seu Thammuz peculiare viri Isis nomen designare, Adonis verò genericum fuisse nomen; quemadmodum Beel-phegor, sive Baal Peor, ut est in Hebræo vero Dei nomini Or, adjunctum habet Pe loco articuli, & Baal qui dignitatis titulus est, sonans Deus. Ipse autem per contemptum mortuus appellatus est ab Hebræis.

f Gen. 18. 12. Postquam consensui & Dominus meus (Hebr. Adoni) vetulus est.

Ad complementum Dissertationis addendum aliquid est de cæteris Moabitarum Numinibus, quò omnia ad eas gentis religionem spectantia uno eodemque lucubrationis contextu collecta habemus. Mentio est apud Moysem de Baal-meon (g) urbe in veteri Moabitarum ditione, quam ex vetusto aliquo gentis Idolo nomen derivasse suum credimus non inviti. Cum verò alterius quàm Chamos & Phegor vel Pe-or Numinis apud eas gentes mentio nulla

g Num. 32. 38. Vide etiam Josu. 13. 17. Ezech. 25. 9.

nulla occurrat; hinc facile credimus alteri ex iis Numinibus urbis nomen accepto referendum fuisse. Porrò nomen illud sonat: Commoratio Baal.

Nabo, alius Moabitarum Deus apud Haiam 46. 1. Confractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulacra eorum bestiarum, & jumentis. Septuaginta pro Nabo legunt Dagon. In urbe Nabo, Dei Chamos alio nomine Beelphegor, simulacrum constitutum S. Hieronymus autumavit (h); ex quo facile contigit potuerat, ut de Urbis nomine Deus appellaretur. Sed ut ingenue fateamur, Sancti Viri sententia nullis satis validis fulcitur argumentis; atque Prophetæ oracula de casu Regni Babylonici lata, de Numine quodam horum populorum ultrò explicandâ se offerunt.

h In Isa. 15. l. 5. pag. 118. not. edit.

IN DEUTERONOMIUM PRELOGOMENON.

JUDÆIS inscribitur Ella Haaddebarim, nullo alio mysterio quàm quòd in contextu Hebræico Operis prima illa verba occurrant. Inscribitur etiam à Rabbiniis quòdque Misna, quòd scilicet repetitionem continet & innovatorem nem Legis. Tandem Liber Reprehensionum (m) ab aliis appellatus est, cum reprehensiones à Moyse factas in Israelitis referat. Apud Græcos & Latinos Deuteronomium dicitur; ex eo scilicet, quòd Legis antea lata summam complectens, veluti secundam Legem exhibeat. Porrò Leges istæ pluribus accessibus & interpretationibus in hoc Opere referantur, in gratiam eorum potissimum, qui, cum primùm Leges rogata fuerunt, sive nondum nati, sive nondum eâ fuerant ætate, ut rationis compotes esse potuerint. Res à Deo & à se gestas in populum Moyse enarrat; quibus accedit historia quinque vel sex hebdomadam, nempe ab ineunte undecimo mense anni quadragesimi ex egressu ab Ægypto, usque ad diem septimam duodecimi mensis ejusdem anni.

n Vide Jansen. Pref. & Com. menti nos. in c. 3.

o Deut. 34. 5.

p Vide Josu. 1. 21. 22. 23.

q Deut. 31. 22.

An Moyse Opus tribuendum esset, dubitarunt nonnulli (n), quòd scilicet Moyse obitum descriptum in eo legerint (o): tum & scriptum videatur ab Authore, dum in occidente Jordanis versaretur; ita enim res gestas in castris Israelitarum describit, quasi in aversa fluvii ripa contigerint [p] Trans Jordanem. Hinc aliqui Josue sive Esdræ ejus Libri Authorem voluerunt. Sed luculentè adèd occurrunt in Opere Mosæica lucubrationis characteres, ut æquum Lectorem vix de altero cogitare permittant. Ipse de se Moyse testatur scriptis mandasse Canticum (q), quòd Libri partem constituit; additque insuper scripto itidem redegeisse omnes à se pro-

Porrò nomen Nebo, vel Nabo, aut Nabu, recurrit in Nabuchodonosor, Nabu-zardan, Semgar-Nabu, & Nabu-zesban (i); Principibus Babylonicis; deductum verò ex Hebræa etymologia sonat Prophetam, Vatem. Hinc facile Oraculum quoddam indicat; an idem ac Nabchaz (k). Idolum Hevæorum, quam gentem Sennacheribè regione Transsephrætæ in Samaritidem transfudit? Sufpicatur Voffius, in loco illo Isaiæ Bel & Nabo duo diversa Numina designare, illum nempe Solem, hunc Lunam (l). Sed commode etiam duo illa confundi possunt, ut Beel titulus sit æquè illi cæterisque Diis communis, & Nebo, quod Oraculum sonat, nomen sit Numini peculiare.

i Jerem. 39. 13.

k 4. Reg. 17. 31.

l De Orig. Idololat. l. 2. c. 2.

positas Leges (r), quarum Legum contextus adèd cum reliquis totius Libri partibus conjungitur, ut divelli possit, distingui non possit. Quòd autem trans Jordanem res in eo descriptæ contigit scribantur, optimi quique Interpretes satis conveniunt, Hebræam vocem (s) in originali occurrentem æquè reddi posse trans & cis; quare sensui determinando sermonis contextus spectandus est. Quòd tandem subditur de obitu Moyse, hæc ab alio Authore suppleta & ultrò credimus, & in nostro Commentario (t) demonstrabimus.

r Ibid. 9. 24.

s Heber.

t Ad Deut. 34. 1.

Hæc autem Operis summa. Moyse in solemnî populi concione, die primâ undecimi mensis anni ab incepto itinere 40. totam historiam, ab egressu ex Ægypto, usque ad stativa in agro Moabitico, post relatas de Rege Basan, Amorrhæis & Madianitis victorias, pereurrit. Huic orationi priora Libri capita usque ad cap. 4. 41. impenduntur; exinde totum quod superest ejusdem capituli, historicum est. Narrat ibi Moyse domitæ regionis à se factam divisionem, tum & tres refugii Urbes constituit; quare supplementum videatur ex Libro Numerorum deductum, velut ad Mosæicæ orationis complementum. Hoc autem sive Moyse ipse per se, sive alius ejus opus recensens, adjecit; nos tamen alteri deputandum arguimus, quòd non ab Authore insertum videatur; qui explorata scribat, sive res paucis antea mensibus gestas, quas ipse antea fufsis in eodem Opere exposuerit. Eadem observet in capitulo 10. versibus 4. 5. 6. 7. 8. 9. quos alienâ manu adjectos suspicamur.

Ad caput 5. Moyse, coactò iterum populo; res ad Sinai gestas fufsis pro concione exponit, latissime eâ occasione Legibus plura simul adjicit. Sequitur in cap. 27. oratio Seniorum populi, qui unâ cum Moy-

Moyse Hebraeos hortantur, ut Divinis jussionibus legibusque per Moysem à Deo latis, morigeros se praeberent, voluntatis in illum suae perpetuum monumentum Altare in Chanaanitide trans Jordanem erigant, in quo victimis oblati foedus cum Deo innovent (u), foederisque innovati leges in ejusdem Altaris lapidibus insculpent. Monet insuper, ut bipertito exercitu sex Tribus utrimque in montibus Hebal & Garizim stantes, maledictiones illae, hae benedictiones Sacerdotum ore pronuncient, respondente ad singulas populo universo.

His ita constitutis, Moyse ad obedientiam Deo praestandam iterum atque iterum populum hortatur (x), praemiorum spe venales animos alliciens, poenarumque timore contumaces terrens; quae omnia stilo praeter morem pathetico & gravi prosequitur.

Fine orationi imposito, Moyse coetu populi coacto (y) vel saltem nondum priori coetu soluto, foedus quatuor ante annis in Horeb inter Deum & Israelem sancitum, iterum innovavit. Post haec ad priorem orationem regressus (z), eadem inculcat, nec minis parcens, nec promissiones praemiorum negligens; iisque omnibus beneficiorum à Deo acceptorum, grati animi excitamenta adjecit. Demum orationem claudens, exposuit se 120. annorum aetate grandævum, ferendo Republicae & exercitibus ponderi jam impari esse; addens insuper Divinae Providentiae consilio ingressu in Chanaanitidem prohiberi se; quare illud reputasse, ut à Principatu sese abdicans, Josue, sibi à Deo datum successorem, statueret; quod aditum executioni mandatum est. Post haec dimisso populo [a], Moyse omnia quae pro concione populo exposuerat, scripto redegit, quem deinde codicem in manu Levitarum & Seniorum populi depositum, iussit singulis septenniis in Festo Tabernaculorum in solemnibus concione legi.

Paucis ante obitum diebus, iussus à Domino unà cum Josue ad Tabernaculum venit (b), eorum quae Deus ipse Josue ediceret, testis futurus. Cum igitur in conspectum venissent, Deus discessurum populum à fide praedixit; iussit deinde Canticum scribere, quo altè in mente Israelitarum insidente, constans beneficiorum Dei, atque vicissim debiti in illum Hebraeorum officii monumentum restaret. His executioni mandatis, tum & Cantico coram populo à Moyse recitato [c], eadem die Moyse ascendere montem Nebo, ubi diem clauderet supremum, à Domino jubetur. Ascensus jam supremam benedictionem pius pater mœstissimis filiis imperitus est, benedictionem, inquam, singulis Tribubus peculiarem, in quibus de futuris eventibus singularum plurima [d]. Pio illo officio persoluto, montis cacumen ascendit, ubi vita defunctus est (e). Haec Deuteronomii summa.

Additiones in hoc Libros, quibus nonnulla locorum sensa implexa efficiuntur frequentiores, quam in ceteris Libris Moyse, Exemplarium excriptionibus accepto refer-

u Cap. 27. 15. 26.

x Cap. 28.

y Cap. 29.

z Cap. 30.

a Cap. 31. 8. 9. 14. &c.

b Cap. 31. 14. &c.

c Cap. 32.

d Cap. 33.

e Cap. 34.

rendas credimus. Non enim Principes tantummodo (f), sed privatorum etiam singuli, illi Dei iussu, hi vero sponte sibi Exemplar describebant. Inter scribendum autem Amanaenses notas voces pro obsoletis substituebant interdum, uti & obscurum quandoque Textum nacli, opportunas voces & sententias perspicuitatis gratia addiderunt. Porro earum additionum alicuius Davidis seu proximam illi etatem referre creduntur, quo potissimum tempore, ut ferè fit in Regno tranquillo, florenti, & pacato, studium Legis & Scripturae viguisse inter Hebraeos non immerito conjectatur.

Legis repetitio coepit à Moyse die primà undecimi mensis, anni ab inito itinere per Desertum quadragiesimi. Obiit autem Legislator primà die mensis duodecimi ejusdem anni, etatem agens 120. annorum, A. M. 2553.

Opportunum factu visum est exhibuisse hic sub eum veluti conspectum totam legum Hebraicarum naturali ordine deductam summam. Cum enim frequentius interrupte, nec raritè repetita in Libris Sacris describantur, Lectorem nimis distrahant, quominus iustam de illis ideam concipere, atque in unum veluti corpus redigere cogitando possit.

Deus Coeli, terraque Creator (g), ex universo hominum genere Abrahamo ejusque familiâ selectis in suum populum (a), foedus cum illis in monte Sinai iniit, Legemque tradidit, in qua se Deum unicum (b), solum proinde amandum atque colendum declarat (c). Neque amorem utcumque, sed cui nihil sit reliquum, exigit: gloriae verò suae atque iustitiae adeo studiosus assertor est, ut quantum in suos misericors, atque praestans promissis fidelis, tantumdem in animadversionibus severus, parentes perduelles usque ad tertiam & quartam generationem puniat, & vicissim pro patris fidelitate beneficia in mille generationes rependat (d). Juramenta per rei alterius cuiuscumque nomen, nisi tantum Divinum, emitti vetat (e). Quare neque cultu ullo, neque ipso nomine (f) Deos alienos invocare, nedum imagines ipsorum, sive aliorum quorumcumque, etiam brutorum & syderum efformare fas est (g). Blasphemia in Deum morti obnoxia adjudicatur (h); neque mitior est sententia in juramenta inania, mendacia, calumniosa, utpotè quibus crimen in veritatem, & sanctitatem nominis Dei inferatur (i). Vota vel nulla fieri jubet, vel si fiant, statim implenda, dilationem non inultam se passurum professus (k). Si quis temerè de summâ Dei autoritate sive periculum facere, sive illum in dubium revocare ausus fuerit (l); nec non qui Magos, Ariolos, Pseudoprophetas de rerum futurarum eventibus consulant, sive se superstitionibus immisceant, illos reos criminis pronunciat (m) Jubet igitur purum, sincerum cultum exhiberi, nullam somnii fidem (n); nullam cum ritibus eorum, qui comam tondent, commercium; procul esse jubet incisiones, & signata (o): Magi, Pythones & Pseudoprophetae à populo exterminentur (p); nihil

Deut. 17. 18.

g Gen. 1. 1.

a Levit. 19. 11. & Deut. 26. 16. 17. b Exod. 20. 7. c Deut. 6. 5. & 10. 12. 20.

d Exod. 10. 5. 6. & 34. 6. 7. Deut. 5. 9. 10. & 6. 15. e Deut. 6. 13. & 10. 20. f Exod. 23. 13. g Exod. 20. 3. 4. & 23. 13. h Levit. 24. 11. i Exod. 20. 7. Deut. 5. 11. k Deut. 23. 21. Lev. 27. Num. 30. l Deut. 6. 16. m Levit. 19. 31. & 20. 6. 27. & 22. 18. Deut. 18. 10. n Deut. 18. 13. Levit. 19. 26. o Lev. 19. 27. &c. p Lev. 20. 27. Deut. 18. 20. &c.

nihilque tandem feratur, quod ad idololatricam, sive pravo exemplo, sive sollicitatione inducat; ipsaque urbes ejus criminis reas vult devoveri [q]. Cavendum insuper edicatur à Iustibus, juxta morem Ethnicorum (r); ab oleo unctiois, & à thymiamate, cujus est usus in Templo, mortis indicta poena, abstinendum (s). Manus tandem insontes atque impollutas ad Deum levent Israelitae, uti filios, famulos, & Dei populum decet (t); in Legis meditatione diu noctuque versentur, eamque sive brachio, armillarum more, sive supra frontem alligent; in superliminariibus adium inscribant (u).

In deserto Deus tabernaculum sibi expandi, veluti Regi in castris cum populo suo versanti, voluit; cujus papilionis opificio omnes donaria conferre (x), solos verò Sacerdotes ejus obsequiis atque servitiis destinari; quibus unis ejus aditum permitti (y), nec nisi eo tantum in loco sacrificia offerri iussit (z). Quicquid autem hostiarum immolaretur, sive extra, sive intra atrium Tabernaculi, statim ante fores ejusdem Tabernaculi sisti voluit, ejusque functionis transgressores, tanquam homicidas damnari (\*). Cum verò Israelitae ad terram sibi promissam pervenerint, ait Deus, ter singulis annis urbem à Deo in sedem sui Templi selectam petant, debitum Domino obsequium (a) munerum oblatione (nefas est enim Deo vacuum se sistere), exhibituri. Deum autem cultu longè à Chanaanis diverso colant; neque enim sive sttuas erigere, sive aras passim excitare, sive lucum, ne circa altare quidem Templi, consecrare Israelitis fas est [b]. In signum autem obtenta à Deo regionis, quam colunt, primitias & decimas pro Sacris Ministris (c) ad Templum deferant, his additis ad Sacerdotem verbis (d): Profecto hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum terram, pro qua juravi patribus nostris, ut daret eam nobis. Accipiteque à Sacerdote oblationibus, statim Israelita prosequatur: Syrus persequatur patrem meum, qui descendit in Egyptum, & ibi peregrinatus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam ac robustam & infinita multitudinis. Afflixeruntque nos Egyptii, & persequuti sunt, imponentes onera gravissima, & clamavimus ad Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos, & respexit humilitatem nostram & laborem atque angustiam; & eduxit nos de Egypto in manu forti & brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis, & introduxit ad locum illum, & tradidit nobis terram lacte & melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum terrae, quam Dominus dedit mihi.

Praeter has oblationes, quotannis semel religiosa in Templo convivia instruere jubebantur Israelitae, à quibus Levita, pauper, vidua, & orphanus non absissent (e). Saepe etiam preces his mensis erant, in haec verba (f): Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, & dedi illud Levitae & advena & pupillo ac viduae, sicut iussisti mihi; nec praecevi mandata tua, nec sum oblitus im-

q Exod. 22. 20. & 23. 24. 25. & 24. 16. Deut. 4. 16. 17. & 13. 6. 10. & 17. 3. r Deut. 14. 1. 2. s Exod. 30. 33. t Exod. 12. 31.

u Deut. 6. 7. &c. & 11. 20.

x Exod. 23. 3. & 25. 5. y Num. 18. 4. z Deut. 12. 14.

\* Levit. 17. 3. 4.

a Exod. 23. 14. & 24. 20. Deut. 15. & 12. 11. 12.

b Deut. 16. 21. 22.

c Exod. 22. 29. & Deut. 31. 1. 2.

d Deut. 26. 4. 5.

e Deut. 14. 23. &c.

f Deut. 26. 13. &c.

perii tui. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quicquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei... Respice de sanctuario tuo, & de excelso Calorum habitaculo, & benedic populo tuo Israel, & terra, quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terra lacte & melle mananti. Haec tamen convivia semel singulis trienniis in sua cuique regione praestare fas erat.

Sacerdotes Domini amplissimis privilegiis atque muneribus decorabantur: illud in primis insigne, quod soli ministrarent Altari; adipem & sanguinem, & quicquid insuper de victima adolendum esset, offerrent; unis insuper aditus in Sanctum ad imponendum igni thymiamata, accendendas lampades, ad innovandos singulis Sabbatis panes propositionis pateret. Sua illis erant partes & victimis in sacrificiis pacificis, & pro peccato, in oblationibus panis, nec non in libamentis, quorum parte in ignem coniecta, reliqua Sacerdoti cedebat (g). In victimis pacificis armum dexterum, & pectusculum (h) Sacerdos sibi reservabat, adipem tradebat igni, sanguine ad basim Altaris effuso, quod reliquum erat offerenti (i) permittebat. In sacrificiis pro peccato, renes, cauda, & adeps illa comprehendens, reticulum jecoris, Domino; reliqua Sacerdoti erant (a). De hostiis pacificis five in Templo, sive in privatis aedibus cum tota familia degustare fas erat: post alteram verò diem à sacrificio, si ex iis reliquum fuisset, igne statim absumendum [b]. De victimis pro peccato extra Templum sive degustare, sive offerre quid Sacerdoti nefas (c); aliis verò à Sacerdotibus ne in Templo quidem aliquid ex iis delibare permittitur: quoad decimas, primitias, primogenita, vota, & oblationes, familia Sacerdotis non excipiebatur (d). Sacerdos, qui ex sanctificatis aliquid ipse non purus in cibum caperet, ultimo supplicio damnabatur (e). Ex dapibus sanctificatis operarii mercede conducti, & advena non participabant; quamquam mancipia Sacerdotis non excluderentur; filiae item è Sacerdotali familia viduae, sive repudiate, amissum antea in illas jus recuperabant. Porro dapes sanctificatae cenfebantur, sive portiones ex victimis pacificis Sacerdotibus cedentes, sive quae ex oblationibus Templo factis in usum eorumdem segregabantur; quoad decimas enim & primitias, quae veluti Ministrorum proventus habebantur, nihil exceptum; qui enim Levitae, & Sacerdotes inexpectati alii potuissent?

Primogenita tam hominum, quam pecudum, atque jumentorum universa Domino segreganda erant [f]; nisi quoddam aliqua ex illis redimendi facultas esset. Hominum enim quinque siclis redimebantur (g); nec alia erat de primis animalium immundorum foetibus ratio, uti asini, & camelus. Siquidem pro asino ovis, sive quinque sicli offerri poterant (h), alioquin statim macabatur. Animalia pura nullo pretio redimi,

g Levit. 2. 30.

h Levit. 7. 31. &c.

i Ibid. 30. 31.

a Ibid. 1. 2. 3.

b Levit. 7. 18.

c Levit. 6. 26. & 7. 6. Num. 18. 9.

d Levit. 10. 14. Num. 18. 13. &c.

e Levit. 22. 2. &c.

f Exod. 13. 12. &c. & 34. 19. g Num. 18. 16.

h V. 17. 18.